



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

3 Vtrum amor sit passio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

hensionem ipsius appetentis, sed ex necessitate, non ex iudicio libero: & talis est appetitus sensitivus in brutis, qui ramē in hominibus aliquid libertatis participat, in quantum obedit rationi. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secundum liberum iudicium, & talis est appetitus rationalis, siue intellectivus, qui dicitur voluntas. In unoquoque autem horum appetituum amor dicitur illud, quod est principium motus tendentis in finem amatum: in appetitu autem naturali principium huiusmodi motus est connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit, quae dici potest amor naturalis: sicut ipsa connaturalitas corporis grauis ad locum medium est per grauitatem, & potest dici amor naturalis. Et similiter appetitus sensitivus, uel uoluntatis ad aliquod bonum, i. ipsa complacentia boni, dicitur amor sensitivus, uel intellectus seu rationalis. Amor igitur sensitivus est in appetitu sensitivo, sicut amor intellectivus in intellectu appetitu, & pertinet ad concupiscibilem: quia dicitur per respectum ad bonum absolute, non per respectum ad arduum, quod est obiectum irascibilis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod auctoritas illa loquitur de amore intellectivo, uel rationali.

AD SECVNDVM dicendum, quod amor dicitur esse timor, gaudium, cupiditas, & tristitia, non quidem essentialiter, sed causaliter.

AD III. dicendum, quod amor naturalis non solum est in uiribus animae uegetatiuae, sed in omnibus potentis animae, & est in omnibus partibus corporis, & uniuersaliter in omnibus rebus: quia, ut Dion. dicit 4. c. De diu. nom. Omnibus est pulchrum, & bonum amabile, cum unaquaque res habeat connaturalitatem ad id, quod est sibi conueniens secundum suam naturam.

ARTICVLVS II.

Utrum amor sit passio.

AD SECVNDVM sic proceditur. Vt, quod amor non sit passio. Nulla enim uirtus, passio est: sed omnis amor est uirtus quaedam, ut dicit Dio. 4. c. de diu. no. ergo amor non est passio.

¶ 2. Præ. Amor est unio quaedam, uel nexus, secundum Aug. in li. de Trin. sed unio, uel nexus non est passio, sed magis relatio. ergo amor non est passio.

¶ 3. Præ. Damasc. dicit in lib. 2. quod passio est motus quaedam: amor autem non importat motum appetitus, qui est desiderium, sed principium huiusmodi motus. ergo amor non est passio.

SED CONTRA est, quod Philosophus dicit in 8. Ethic. quod amor est passio.

RESPON. Dicendum, quod passio est effectus agētis in patiente, agens autem naturale duplicem effectum inducit in patientem. Nam primo quidem dat formam, secundo dat motum consequentem formam: sicut generans dat corpori grauitatem, & motum consequentem ipsam. Et ipsa grauitas, quae est principium motus ad locum connaturalem, propter grauitatem potest quodammodo dici amor naturalis: sicut etiam ipsum appetibile dat appetitui primo quidem quandam coaptationem ad ipsum, quae est quaedam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile. Nam appetitiuus motus circulo agitur, ut dicitur in 3. de anima. Appetibile enim mouet appetitum, faciens quodammodo in eo eius intentionem: & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit sibi finis motus, ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili, uo-

atur amor, qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis: & ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, & ultimo quies, quae est gaudium. Sic ergo cum amor consistat in quadam immutatione appetitus ab appetibili, manifestum est, quod amor est passio, proprie quidem secundum quod est in concupiscibili, communiter autem & extenso nomine, secundum quod est in uoluntate.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod quia uirtus significat principium motus, uel actionis: ideo amor in quantum est principium appetitui motus, a Dion. uocatur uirtus.

AD SECVNDVM dicendum, quod unio pertinet ad amorem in quantum per complacentiam appetitus amans se habet ad id, quod amat, sicut ad seipsum, uel ad aliquid sui. & sic patet, quod amor non est ipsa relatio unionis, sed unio est consequens amorem. unde & Dionys. dicit quod amor est uirtus unitiua. Et Philosophus dicit in 2. Politica, quod unio est opus amoris.

AD TERTIVM dicendum, quod amor etsi non nominet motum appetitus tendentem in appetibile, nominat tamen motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibile compleceat.

ARTICVLVS III.

Utrum amor sit idem quod dilectio.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod amor sit idem quod dilectio. Dion. enim 4. c. de diu. nom. dicit, quod hoc modo se habent amor & dilectio, sicut quatuor & bis duo, rectilineum & rectas habens lineas, sed ista significant idem. ergo amor & dilectio significant idem.

¶ 2. Præ. Appetitui motus secundum obiecta differunt, sed idem est obiectum dilectionis, & amoris. ergo sunt idem.

¶ 3. Præ. Si dilectio & amor in aliquo differunt, maxime in hoc differre videtur, quod dilectio sit in bono accipienda, amor autem in malo, ut quidam dixerunt, secundum quod Aug. narrat in 14. de ciuit. Dei. sed hoc modo non differunt, quia, ut ibidem Aug. dicit, in sacris scripturis utrunque accipitur in bono, & in malo. ergo amor & dilectio non differunt, sicut ipse Aug. ibidem concludit, quod non est aliud amorem dicere, & aliud dilectionem dicere.

SED CONTRA est, quod Dio. dicit 4. c. de diu. no. quod quibusdam sanctorum uisum est diuinius esse nomen amoris, quam nomen dilectionis.

RESPON. Dicendum, quod quatuor nomina inueniuntur ad idem quodammodo pertinentia, scilicet amor, dilectio, charitas, & amicitia. Differunt tamen in hoc, quod amicitia secundum Philosophum in 8. Ethic. est quasi habitus: amor autem & dilectio significantur per modum actus, uel passionis: charitas autem utroque modo accipi potest, differenter tamen significatur actus per ista tria: nam amor communius inter ea est. omnis. nam amor dilectio est, uel charitas, sed non econuerso: addit enim dilectio supra amorem, electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat. unde dilectio non est in concupiscibili, sed in uoluntate tantum, & est in sola rationali natura: charitas autem addit supra amorem perfectionem quandam amoris, in quantum id quod amatur, magni pretii estimatur, ut ipsum nomen designat.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Dionys. loquitur de amore, & dilectione secundum quod sunt in appetitu intellectivo: sic enim amor idem est quod dilectio.

AD

D. 103.

D. 979.

In par. 1. par. 16 ante medium.

Inf. ar. 3. ad 3. & 4. q. 28. ar. 6. ad 1. c. 4. in pat. declinando ad finem, & etiam par. 2. li. 8. de trinitate. c. no. habetur. to. 3. cap. 22.

c. 5. parum a medio, to. 5.

c. 4. in p. 2.

c. 1. in p. 2. 5.

tex. 55. to. 3.

p. 1. q. 10. art. 1.

c. 4. par. 4. de diu. no. in principio. D. 105.

* p. 4. de diu. no. in par. 2. & in par. 1. dealiando ad finem. li. 2. polit. c. 2. a med. 5.

1. d. 10. in ex polit. & 2. di. 27. q. 2. a. 1. & di. 4. le. 9. cor. 1. & 6. & Psal. 17. & Ioan. 21. le. 3. cap. 4. in 1. par. aliquantum post medium illi.

c. 7. ante medium. li. 1. de ciu. dei. c. 7. 5.

In 1. par. circa medium & fin.

c. 5. parum a medio, to. 5.

AD SECUNDUM dicendum, quod obiectum amoris est communius quam obiectum dilectionis, quia ad plura se extendit amor quam dilectio, sicut dicitur est.

In corp. ar. *

AD III. dicendum, quod non differunt amor, & dilectio secundum differentiam boni, & mali, sed sicut dicitur est, in parte tamen intellectiva, idem est amor & dilectio: & sic loquitur ibi * Aug. de amore: unde parum post subdit, quod recta uoluntas est amor bonus, & quod peruersa uoluntas est malus amor: quia tamen amor, qui est passio concupiscibilis, plurimos inclinatur ad malum, inde habuerunt occasionem, qui praedictam differentiam assignauerunt.

In corp. ar. c. 7. & p. h. 14. de ciui. Dei to. 5.

AD IIII. dicendum, quod diu aliqui posuerunt esse in ipsa uoluntate, nomen amoris esse diuinius nomine dilectionis, quia amor importat quandam passionem, praecipue secundum quod est in appetitu sensitiuo: dilectio autem praesupponit iudicium rationis: magis autem in Deum homo potest tendere per amorem passiuum quod ammodo ab ipso Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio possit ducere, quod pertinet ad rationem dilectionis, ut dicitur est: & propter hoc, diuinius est amor quam dilectio.

In corp. ar.

¶ Super quaest. uigesima sexta Articulus quartus.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrum amor conuenienter diuidatur in amorem amicitiae, & amorem concupiscentiae.

IN quaestione uigesima sexta, omisis primis tribus articulis, in quarto hoc solum aduerte, quod distinctio amoris in amorem amicitiae & concupiscentiae non est tam diuisio amoris, quam amatorum: seu, & in idem redit, non est diuisio amoris secundum se, sed secundum diuersum de amata. Cum enim omne concupitum alicui concupiscatur, nullus amor concupiscentiae est sine amore amicitiae illius cui concupiscitur. Et rursum, cum omni amico aliquid bonum uelimus, nullus amor amicitiae est sine amore concupiscentiae boni concupiti amato.

1. q. 60. ar. 3. co. & art. 3. ad 3. & ma. q. 1. ar. 5. co. & h. 1. q. 4. ar. 3. & Dio. 4. h. 9. & 10. & 10. 15. le. 4. c. 1. a. med. to. 5.

8. Eth. ca. 3. to. 5.

¶ 2. parum ad me. to. 1. c. 11. a. me. ilius to. 5. c. 4. in prin. to. 6.

Non ergo distinguitur amor in amorem amicitiae & concupiscentiae, tanquam in diuersos amores, sed tanquam in diuersos modos amandi. Vnus enim & idem amor est amicitiae respectu amici, & concupiscentiae respectu boni illi uoliti. Et si quandoque inuenias diuersos esse amores, sane interpretare. & denominari amore quandoque ab amicitia scito, propter obiectum de quo est sermo, ut patet cum sermo de amore ad irrationalia, uel

uel sibi, uel alii, & illud, cui uult bonum. Ad illud ergo bonum quod quis uult alteri, habetur amor concupiscentiae; ad illud autem, cui aliquid uult bonum, habetur amor amicitiae; haec autem diuisio est secundum prius & posterius. Nam id quod amatur amore amicitiae, simpliciter & per se amatur: quod autem amatur amore concupiscentiae, non simpliciter & secundum se amatur, sed amatur alteri. Sicut enim ens per se simpliciter est, quod habet esse; ens autem secundum quid, quod est in alio; ita & bonum, quod conuertitur cum ente, simpliciter quidem est quod ipsam habet bonitatem. Quod autem est bonum alterius, est bonum secundum quid, & per consequens amor, quo amatur aliquid ut ei sit bonum, est amor simpliciter; amor autem, quo amatur aliquid ut sit bonum alterius, est amor secundum quid.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod amor non diuiditur per amicitiam, & concupiscentiam, sed per amorem amicitiae & concupiscentiae. Nam ille proprie dicitur amicus, cui aliquid bonum uolumus; illud autem dicimus concupiscere, quod uolumus nobis. & per hoc patet solutio ad secundum.

AD TERTIUM dicendum, quod in amicitia, utilis & delectabilis, uult quidem aliquis aliquid bonum amico, & quantum ad hoc saluatur ibi ratio amicitiae, sed quia illud bonum refert ulterius ad suam delectationem, & utilitatem; inde est, quod amicitia utilis & delectabilis, in quantum trahitur ad amorem concupiscentiae, deficit a ratione uerae amicitiae.

QVAESTIO XXVII.

De causa amoris, in quatuor articulos diuisa.

¶ Super quaestione uigesima septima articulum primum.

DEINDE considerandum est de causa amoris.

ET CIRCA hoc quaeruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum bonum sit sola causa amoris.

¶ Secundo, Vtrum cognitio sit causa amoris.

¶ Tercio, Vtrum similitudo.

¶ Quarto, Vtrum aliqua alia anima passionum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum bonum sit sola causa amoris.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod non solum bonum sit causa amoris. Bonum enim non est causa amoris, nisi qui amatur, sed contingit etiam malum amari, secundum illud Psalm. decimo. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam; alioquin omnis amor esset bonus. ergo non solum bonum est causa amoris.

IN corpore primi articuli quaestio uigesima septima notato, quod garo consistit in hoc. Bonum est proprium obiectum amoris: ergo est propria causa amoris. & probatur sequela: quia obiectum potentiae passivae comparatur ad ipsam, ut causa motus uel actus ipsius: ac per hoc obiectum proprium talis actus huiusmodi potentiae, est propria causa illius actus: amor autem est actus potentiae appetitivae, quae est passiva. Ex his habes de mente diui Thomae quatuor, scilicet quod uis appetitiua est passiva: & quod obiectum eius est causa actiua: & quod bonum effectiuae causat amorem: & quod uniuersaliter, obiectum proprium cuiusque actus, appetitus est causa actiua illius: quae multi me-

In corp. ar. 1. & h. 11. 2. ad 1. 2. ad 1. 2. ad 1. 2. ad 1.